

diorum programma Ordinario exhibendum conficiant, quo definiatur, quae materiae in singulis classibus tradendae sint, et quantum temporis unicuique impendendum. Statuta semel divisio ab omnibus retineatur. Quin etiam tota vita alumnorum ita disponenda erit, ut nulla diei hora in incerto relinquatur quid sibi ad scientiae et virtutis progressum sit agendum (Concil. Baltimor. III, tit. v, c. 1).

III. — In componendo materiaram elencho, eisque per singulos annos distribuendis, imo, quantum fas sit, in auctoribus qui praelegantur assignandis, prae oculis habeatur norma gymnasiis civilibus praestituta. Quod quidem favebit tum iis, qui ex publicis lyceis ad seminarium transeant, tum etiam alumnis nostris, si qui forte coram civilibus magistris examen subire cogantur.

IV. — Nec tamen omnia quae invehuntur quotidie nova, sine discrimine adoptentur, in quibus saepe speciei multum est et parum soliditatis. In tanta disciplinarum ac methodorum confusione, ita temporum necessitati serviendum est, ut ab institutione et scopo seminarii minime deflectatur.

V. — Ne permisceantur classium gradus, sed unaquaeque in iis se contineat, quae ipsius propria sunt, omnia solide pertractentur, accomodate tamen ad captum discipulorum. Praetermissis quaestionibus accessoriis nimisve reconditis, necessariis dumtaxat instandum erit, ut haec veluti semina, puerilibus animis inserta, postmodum faecundata evolvantur.

VI. — Haud parum proderit alumnis, si omnes praelectiones quas in aula excipiunt, ad epitomen redigant a praeceptore identidem recognoscendam; item si compositiones et scripta varia suo Marte elucubrent. Crebro etiam instituantur repetitiones atque ea quae

per hebdomadam aut mensem tradita sunt a capite recolantur.

VII. — Ne otio tabescant animi, sed caepto labori libenter insistant, assidue provocandi erunt, qua moderatorum consiliis, qua omnibus honestae aemulationis incitamentis. Summa est concertationum utilitas, modo saepe iterentur, nec praemiolis careant ii, qui excellerint. Publica etiam certamina identidem celebranda erunt, quae solemniori apparatu, et externorum virorum frequentia cohonestentur.

VIII. — Hisce exercitationibus magistri alias intermiscerent, modo hanc, modo illam imperando, quia nulla re magis iuvenum industria quam fastidio languescit. Fervor studiis non infructuosus accedet, si variae instituantur academiae, ubi statis diebus certisque legibus de re litteraria vel scientifica disseratur.

IX. — Inferiorum classium alumni singulis mensibus, ceteri tertio quoque mense, privatum doctrinae suae periculum facient. Sed anno scholari labente, ante ferias maiores singuli examinabuntur coram Ordinario vel aliis ab ipso deputatis. Nemo autem ad studia superiora gradum faciat, verum in eadem classe consistat, nisi in tractatibus anni proxime elapsi bene versatus sit, ac suum magistri probarint laborem.

X. — Examinibus peractis, fiant actus publici et distributio praemiorum. Postremo notae de uniuscuiusque alumni merito quoad studia et mores quolibet semestri Episcopo exhibeantur.

De morum disciplina.

I. — In gymnasiis mixtis, si quae forte adhuc conservanda sint, ita dividantur iuvenes laici a clericalibus, ut hi degant in collegio, illi vero in domibus parentum, per diem ad scholas accessuri. Ubi extat seminarium proprie Tridentinum, optandum quam maxime est, ut alumni omnes in eodem continue permaneant. Quod si possibile non sit, Rector sinet externos sive in aedibus paternis, sive apud alias familias hospitari, quarum religionem et honestatem plane perspectam habeat. Iisdem sedulo invigilabit atque opportunas praescribet regulas. Eos in gymnasiis, in ecclesia, ubique, ita ab internis segregabit, ut nullum cum eis sermonem interserere, multoque minus literulas clanculum dare, aliaque mandata forinsecus peragere, unquam valeant. Quod quidem sacra Congregatio Concilii non semel inculcavit (Lucidi, *De Visitatione sacrorum liminum*, §. VI, n. 3).

II. — Convictoribus etiam specialis et exactissima disciplina, Episcopi auctoritate sancienda praefinetur. Qua de re pauca haec in memoriam revocantur:

Prudentia et consideratio moderatorum necessaria virtus, neque in ferendis legibus neque iisdem exsequendis, unquam desiderentur. Praesides leni imperio, patrum more, non dominorum, singula moderentur. Sit ipsorum vigilantia solertissima quidem, at simul temperata et discreta, neque ad minima quaeque nimis subtiliter attendens, neque animos arctioribus vinculis constrictos tenens, quae impediunt ne iuvenum indoles sese exerat (Conc. prov. Venetae an. 1859. —

Concil. Viennense, a. 1858. — Concil. Baltim. plenar. II et III).

III. — Statim ac praeceptum aliquid fuerit, plenissima mandati observantia constanter inculcanda est, sed minus castigationibus quam virtutum momentis. Similiter expedit eos qui infirmitate labuntur, non autem obstinata malitia, blandis hortatibus erigere et excitare. Iuvenes enim mansuete et patientissime tractandi sunt, ac sensim sensimque ad altiora extollendi.

IV. — Attamen cum suavitate in gubernando, societate firma in tuenda disciplina voluntas. Nullis vitiis connivendum est; nihil dissoluti minusve honesti in verbis aut factis permittendum. Modestia, silentium, assiduitas in scholis severe exigatur.

V. — Alumni morosi, legum impatientes, ad discendum aut orandum pigri, nisi admonitione satis corrigantur, poenas luent salutare, modo ne magistri sint in puniendo praecipites, neque in inquirendo nimii. A verberibus, a contumeliis dicto vel opere inferendis, utique absterneant. Inusitata ac duriores coercitiones, si quae opus fuerint, deferant ad Rectorem vel eius vicarium.

VI. — Tempestive et prudenter e seminario dimittantur qui in studiis vel pietate sunt pertinaciter inertes; ii etiam qui pravis moribus imbuti, aut nunquam emendandi aut sociis offendiculo et exitio futuri praevidentur.

VII. — Praetermissis aliis monitis, volumus in eo etiam industriam poni, ut pueri ad comitatem et consuetudinem vitae civilis informentur. Quidquid igitur asperi, dissoni aut durioris in homine exteriori notetur, eliminandum est. In sermone et incessu, in toto corporis habitu ipsisque vestibus, appareat decora quae-

dam concinnitas, quae aequè distet a plebis rusticitate et a mundanorum affectata elegantia. Procul dubio christiana urbanitas, quae ex caritate et humilitate gignitur, futuris clericis non parum affert dignitatis ac splendoris, eosque reddit hominibus acceptos: quo fit ut animas Christo commodius lucrifaciant. (Concil. Baltimorese III, tit. v, cap. i).

VIII. — Semel in mense dies assignetur quo discipuli debita quiete fruantur. Inter annum nemini venia detur ad domesticos lares redeundi, aut per diem integrum extra collegii septa versandi, nisi urgeat gravis causa Rectori probata.

IX. — Accedente feriarum tempore Rector profecturos mox alumnos doceat qua ratione debeant, inter consanguineos et concives, mores sua vocatione dignos servare, alere pietatem et generosam virtutem, ut illecebras cupiditatum vincere possint et exemplorum contagia evitare.

X. — Singuli eorum, epistola a Rectore obsignata, commendentur Parocho loci, in quo per ferias sunt mansuri; easque litteras, statim ac pervenerint, Parocho tradere iubeantur. Qui, ipse per se et per alios, iuvenes custodiet atque observabit, num se honeste gerant, in religiosis functionibus sint frequentes, sacramenta percipiant et ecclesiasticorum hominum consuetudine utantur. Abeuntibus autem scriptum dabit testimonium, parochiali sigillo munitum, in quo Rectorem de puerorum vivendi ratione faciat certiore.

§ VI.

De virtute et pietate in minori seminario promovenda.

Instructionem litterariam, nisi cum timore Domini foedere indissolubili vinciat, plus damni quam utilitatis afferre, tristis nimium experientia comprobavit. Praeterea fructuosam veri nominis scientiam frustra putant se adepturos, qui non simul incorruptam vitae innocentiam consecutentur; quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (Sap. I, 4). Si alumnos igitur omnigena optimarum artium supellectili decet adornari, multo pluris interest ut, quoad morum bonitatem, praeceptis et institutis abunde muniantur.

I. — Labori nulli parcendum est ut ipsorum animis inserantur primi habitus humilitatis et obedientiae, candoris et sinceritatis. Omnia sint in eis ingenua et pudica. Discant mutua se benevolentia prosequi, ac paedagogos alacri observantia revereri. Sed potissimum Rectorem habeant loco patris, cui animi sensus libere aperiant quocum res suas fidenter communicent, ut ipse, prouti res tulerit, consilio adsit et opituletur.

II. — Assidue excitentur ad seriam mentis applicationem et ad laborem, non sine vi aliqua sibi illata, tolerandum: quod plurimum valet ut in omnem deinceps aetatem, sibi imperare sciant, et pravos animi motus compescere.

III. — Quandoquidem « cura disciplinae dilectio est, et dilectis custodia legum » (Sap. VI, 19): seminarii legibus religiose obtemperent, non serviliter ex metu, imo sponte, cupide, ex Dei amore, memores omnem disciplinam in praesenti quidem videri non esse gaudii sed moeroris; postea autem fructum pacatis-

simum exercitatis per eam reddituram esse iustitiae (Hebr. XII, 11).

IV. — Per omnem occasionem instilletur eis ecclesiasticae vitae amor et aestimatio, adeo ut ab ipso clericalis tyrocinii limine, distortas saeculi affectiones exuentes, hoc sentiant in se quod et in Christo Iesu.

V. — Cuncta haec suaviter et cumulate praestabunt, si pietatis officiis vacare ardentissime ament; si studium et oratio se mutuo accendant et vegetent. Qua de causa, quolibet mane per aliquam horae partem res coelestes meditentur; Missae sacrificio religiosa corporis et mentis compositione assistant, Patrem luminum et scientiarum Dominum sibi propitiaturi. Neque omittant nocturno examine conscientiam excutere. Quo fidem suam et caritatem novis usque incrementis confirmant, Sanctissimum Sacramentum bis saltem in die visitent, post prandium ac coenam, in quibus aliqua lectio fiat, quae apta sit non tantum ad erudiendum sed magis ad pietatem fovendam.

VI. — Omnes statis diebus, et certe semel in mense, peccata confiteri seseque ad arbitrium confessoris pane eucharistico reficere iubeantur.

VII. — Inter sanctos, eos praecipuo cultu afficiant qui sacerdotali merito refulserunt, Angelicum Doctorem, sanctum etiam Aloisium aliosque iuventutis patronos tutelares: at prae caeteris omnibus, Deiparam immaculatam, in cuius honorem tum praecatoriam Rosarii coronam quotidie persolvent, tum integrum mensem maium, more inter nostrates recepto, consecrabit; tum denique peculiaris sodalitas instituat.

VIII. — Interdum a consueta discendi occupatione ferientur, exercitia spiritualia pro captu suo peracturi. Qui pius recessus quotannis habendus est priusquam

studia instaurentur; idemque utiliter iterabitur, licet breviori temporis spatio, in medio anno scholari aut versus eius finem (Clemens. VIII, Encycl. *Ea semper fuit*, 23 Iunii 1592).

CAPUT II.

DE MAIORI SEMINARIO.

Plurimas et maximas consilii, vigilantiae, sollicitudinis nostrae partes iure sibi vindicant seminaria maiora: ex quibus rite compositis reliqua fere omnia procedunt quae ordinis ecclesiastici disciplinam stabilunt. Sunt enim adolescentes clerici spes et velut inchoata forma sacerdotum, et illi profecto in presbyteratu integre sancteque versabuntur, qui tantum in sacro tyrocinio profecerint, « ut ad virtutes omnes non tam instituti quam nati videantur ». (Leo XIII Encycl. *Etsi nos* 15 Febr. 1882. — *Quod multum* 22 Aug. 1886).

§ I.

De candidatorum delectu.

I. — Quoniam melius est pauciores habere ministros probos et idoneos, quam plures qui in aedificationem Ecclesiae nequaquam sunt valituri, et minus infortunium erit oves christiani gregis fame perire, quam per lupos, pastorum veste indutos, disperdi atque mactari: (Benedicti XIV, Encycl. *Ubi primum*) statuit haec Synodus antequam in seminarium aliquis cooptetur, singulari mentis acie expendendam esse eius vocationem, et investigandum, num doctrina, vitae gravitate ac divini cultus amore satis commen-

detur. Iis tantum aditus patefiat, de quibus prudens sit praesumptio fore eos aliquando potentes in opere et sermone, peritos ministerii sancti participes et adiutores.

II. — Proinde, quotquot fuerint mundanis corruptelis irretiti, nec solidam coniecturam afferant sinceræ conversionis; quotquot gymnasiale studiorum curriculum haud prospere absolverint, aut quacumque ratione comperiantur facultatibus et animo pro bona Christi militia carere; ii omnes, posthabito respectu ad sacerdotum penuriam, a sanctuario firmiter arceantur.

III. — Ubi forte, ex ineptis huiusmodi candidatis, aliquis errore aggregatus fuerit, provide removeatur. Illi etiam qui, initio valde idonei, postea deprehendantur a recta via aberrasse, et arrogantes facti vel contumaces, vel obedientiae osores, verbo, sibi et aliis minime profuturi: inexorabili constantia sunt eliminandi.

IV. — Ditiores iuvenes, soluta annua pensione, omnes educationis sumptus ipsi tolerabunt; pauperes vero, quantum per seminarii dotem licuerit immunes à quibusvis expensis assumantur, non tamen sine delectu. Inter omnes enim qui ad maiora studia arripienda volunt admitti, ii eligantur qui et morum integritate excellant, et per experimentum voce et scripto factum, probaverint se inferioribus disciplinis apprime esse excultos.

V. — Pro locorum et temporum adiunctis, necesse est interdum alienae etiam ecclesiae clericos educandos suscipere. Nullum quidem lapidem non movebimus ut suo quaeque dioecesis potiatur seminario minore et maiore. Verum, huiusmodi collegia, omnibus eruditionis adiunctis, magistrorum copia et frequentia alumnorum

ornata, institui ac conservari nequeunt sine arduo labore gravibusque impendiis: quibus ferendis non singulae forte dioeceses huius Provinciae statim pares esse poterunt. Quod si accidat, sane praestat ad tempus pauca sustentari seminaria omnibus numeris absoluta, quam multa minus apta ad formandos egregios sacerdotes. Attamen nullus theologiae candidatus in externam dioecesim studiorum causa migrabit, nisi proprii Episcopi venia impetrata. Is autem clericorum alibi degentium vivendi rationem et in sacris scientiis profectum crebro investiget.

§ II.

De studiorum ratione.

Quoad scientias excolendas a clericis in seminario degentibus, sint normae instar Sedis Apostolicae monita, nempe « omnem adhibendam esse diligentiam, ut tum dogmaticam tum moralem theologiam ex divinis litteris sanctorumque Patrum traditione, et infallibili Ecclesiae auctoritate haustam, ac simul solidam divinarum litterarum, sacrorum canonum, ecclesiasticae historiae, rerumque liturgicarum scientiam, congruo necessarii temporis spatio, diligentissime addiscant; et summopere cavendum esse in librorum delectu, ne in tanta grassantium errorum colluvie, a sanae doctrinae tramite adolescentes temere abducantur. (Pii IX Encycl. *Singulari quidem* 17 Martii 1856).

I. — De theologia dogmatica praecipimus ut sit positiva simul et speculativa, scholastico modo pertractata. Cuius methodi quanta sit excellentia, pluries significarunt Romani Pontifices (Sixti V Bullam

Triumphantis, an. 1583), ac nominatim sapientissimus Leo XIII, qui eam adhuc necessariam esse pronuntiavit catholicae veritati confirmandae, et debellandis pravis opinionibus quibus homines tanto iam numero illaqueantur, cum ingenti salutis suae discrimine et reipublicae detrimento. Porro advigilabunt Episcopi ut, quemadmodum philosophia in seminario minori, ita in maiori institutiones theologicae iuxta doctrinam D. Thomae tradantur, a quo velut incorrupto fonte purissimi latices depromentur. Hoc vel ex ipsa Bulla erectionis huiusce Provinciae didicimus: « Illud autem, ait Romanus Pontifex, summopere nos urget, ut sacri Antistites omnem impendant curam, quo iuventus, in spem efformanda, Angelici Doctoris sacra et coelesti imbuatur doctrina, ubi enim iuventus ipsa se in disciplinam et clientelam eiusdem tradiderit, facile floreat sapientia veri nominis, firmis hausta principiis ratione atque ordine explicata » (*Illud in primis*, 23 Iunii 1891).

II. — Quia temporis brevitudo non patitur omnes quaestiones prolixè expendi, quaedam obiter indicandae erunt, illae vero funditus explanandae in quibus summa rerum vertitur: uti quae spectant veram Christi Ecclesiam, Romani Pontificis primatum et infallibilitatem, profliganda errorum monstra a neotericis progenita.

III. — Dum theologiae morali dant operam, imbuantur principiis et doctrinis Sancti Alphonsi M. de Liguorio, cuius sententiae tuto tradi et ad praxim deduci possunt, ex decisione S. Poenitentiarum: inflammentur ad libenter excipiendas confessiones, atque in gravissimo munere moderandi fidelium conscientias fiant exercitatissimi. Theologiae asceticae non ultimae partes tribuendae. Officium erit directoris spiritualis unum-

quemque, pro indole sua et mensura gratiae, ad hanc difficilem artem praeparare.

IV. — In classe Scripturae Sacrae, demonstrata authenticitate Bibliorum et auctoritate, praemissis quoque hermeneuticae regulis, inexhausti scientiae et aedificationis thesauri in divinis litteris reconditi indigentur. In elementis linguae hebraeae, quae ad exegesis utilius tractandam multum conducit, discipuli firmum ponant fundamentum, ad altiora postmodum, ubi opus erit, assequenda. Curent Episcopi ut in schola Scripturae Sacrae accurate serventur normae a SS. D. N. Leone P. XIII, praescriptae in Litter. Encycl. *Providentissimus Deus*, de Studiis Scripturae Sacrae, diei 18 Nov. 1893.

V. — Aliquid etiam de Sanctis Patribus degustent, selecta et faciliora opera percurrendo.

VI. — Doctrina iuris ecclesiastici sit usdequaue intemerata, adhibitis probatis auctoribus, illis praesertim, qui in scholis pontificiis cum laude exponuntur.

VII. — Permagni momenti est historia Ecclesiae, in quam tanta vi et calliditate impii conatus suos convertunt, plus odio Christi Sponsae quam rerum evidentiae tribuentes. In ipsa luce factorum perspiciant alumni tum divinam Ecclesiae vim et perpetua incrementa, tum immensa beneficia quae omni aevo ex eius institutis in homines dimanarunt (Leo XIII Ep. *Saepe numero* 18 Aug. 1883).

VIII. — Cum Seminarium hoc maxime sibi propositum habeat ut digni formentur evangelii praecones, plurimi refert ut clerici in concionibus fructuose elaborandis dexteritatem acquirant. Ad quod parum proderunt sacrae eloquentiae praecepta nisi vivis adumbrentur exemplis et opere versentur. Singuli itaque de

assignato sibi themate sermonem cogitate conscribent, a praefecto studiorum emendandum, et dein coram omnibus graviter et devote pronuntiandum. Sit qui animadvertat quidquid novellus orator, in voce, motu corporis et universa actione peccaverit. Saepe iterentur hae declamationes, et praeter compositiones artificiose exaratas, etiam ex tempore verba facere consuescant.

IX. — Volumus seminarii alumnos ad unum omnes, sedulam navare operam catechesi, homiliae, familiari demum sermoni, quo elementa fidei et virtutum praecepta rudibus dilucide evolvantur: in quo ministerio salus multorum plerumque consistit.

X. — Omnes compellantur in cantu gregoriano et sacris ritibus summam ponere industriam, ac nihil eorum parvifacere, quibus liturgia congruenter et decore conficiatur: cuius leges et caerimoniae non memoria solum tenendae sunt, verum et continua exercitatione addiscendae. Huc pertinet tridentinum decretum de seminarii alumnis ad cathedralem aliasque ecclesias mittendis, ut ibidem diebus festis inserviant. (Sess. XXII, c. 18 de Reform. cfr. 17). Eorum quae ad Missae sacrificium, ad sacramenta recte administranda et reliqua munera pastoralia spectant, usum et consuetudinem ii potissimum capere debent, qui ad sacerdotium brevi promovendi sunt aut curae animarum praeficiendi.

XI. — Tot materiis pertractandis vix ac ne vix quidem satis erunt ordinariae classes: ideoque utiliter fient domesticae collationes theoricopracticae quibus potissimum Catechismi Romani, Breviarii, Missalis ac Ritualis divitias bene noscere, avide colligere et pie venerari clerici discant.

XII. — Praelectiones ferme omnes, quatenus materia ferat et eae certe quae agunt de fide, moribus

ac iure ecclesiastico, latino sermone tradantur: cuius quidem usum multiplicem et perpetuum, etiam in familiari commercio, suademus.

XIII. — Minime praetermissas volumus linguas indorum huius provinciae vernaculas: unam alteramve ex praecipuis discere omnes adigantur. Ad hoc ne religionis auxilia iis desint, qui ex aliis regionibus advenae inter nos commorantur: curandum est ut peritia sermonis anglici et gallici in minori seminario comparata, in maiori servetur et usu perficiatur.

§ III.

Monita de studiorum regimine.

I. — Disciplinae in maiori seminario pertractandae, quum tanto numero sint tantique ponderis, diuturnum sane spatium sibi vindicant. Sed triste dictu, quia pecuniae in victum et cultum quo vita adolescentium indiget erogandae plerumque deficiunt, et quia clericos longius in tyrocinio detineri nequaquam patitur multarum ecclesiarum instans necessitas: ideo inviti et reluctantes cogimur studiorum compaginem in angustum redigere ita ut quadriennio, quin etiam alicubi triennio compleatur. Verum hoc saltem inviolate servabitur ut nemini presbyteratus conferatur quin tres continenter annos in seminario transegerit (Bened. XIV De Syn. lib. XI, cap. 2, n. 11 et 12).

II. — Interim omnes vehementer incitandi sunt ut breve illud discendi tempus impigre et cum fructu impendant, admotis etiam, pro merito deprehenso, iis praemiorum et aemulationis igniculis, quos in collegio puerorum adhibendos esse supra monuimus. Crebrae itaque